

Gedrückt tho Wit-  
temberch : durch  
Georgen Eham.

M. D. XLIII.

F I N I S



SEQVITVR

**PIA ET VERE**  
**CATHOLICA ET CONSENTI-**  
**ENS VETERI ECCLESIAE ORDINATIO**  
**CAERIMONiarVM, PRO CANONICIS**  
& Monachis qui reliqui sunt in terra Brunsvuicen-  
si, donec moriantur. Nam quemadmodum ex bo-  
nis illis Ecclesiasticis, non superstitiosi & blasphemi  
Monachi, neq; ociosi Canonici, vt nunc nihil aliud  
dicamus, posthac alantur, sed constituentur Mini-  
steria publica Ecclesiarum, quibus indigemus, & cura-  
rentur pro emeritis Ministris, pro Studentibus,  
& alijs pauperibus, superius in hac nostra  
Ordinatione Exemplum ( si fieri  
possit ) propositum est.



### Quid voluerint can

tare Monachi, qui adhuc in Monasterijs, suscepta Christiana Ordinatione, reliqui sunt, ubi ipsos, vel paucitas, vel senectus, aut morbus non impedit, Primum & ante omnia, sic instituant animum verbo Dei & fide Christiana, vt certo sciant solum Christum coram Deo Patre, suam esse iusticiam, & vitam aeternam. Murmura vero illa Horarum Canoniarum, & longas simulatasq; preces, esse fatigationes corporum, & vexationes conscientiarum.

Deinde nihil canant aut legant publice, quod non sit ex Sacra acceptum scriptura, id est (vt vocamus) ex Veteri & Nouo Testamento, ne sub specie nominis Dei blasphement, contra Secundum praecceptum, Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum, Non enim erit impunitus qui hoc fecerit, ne rursus puniamur a Deo horrenda animi caecitate, vt antehac. Idcirco abstinebunt a cantu & Collegiis, quae sapiunt inuocationem Sanctorum & iusticias humanas, quasi nostris operibus mereamur remissionem peccatorum, & vitam aeternam, quae est impietas & abnegatio misericordiae Dei Patris, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, blasphemia in Euangelium gloriae Dei, & turpis ignorantia Baptismi nostri. Gloriamur nos esse fideles non Turcas, Sed ubi est fides nostra? Fidere nostris iusticijs non est fidere sola Dei bonitate in Christo, sed est proprie habere Deos alienos, contra primum Praeceptum

A ij      ceptum

ceptum, vt simus Athei & impij, sine Deo in hoc mundo, omnia tentantes quasi varios Dei cultus siue verbo Dei, sine mandato Dei, sine fide, sine fiducia in Deum, breuiter, sine Deo. An non hic merito obliuit Ecclesia sancta, sponsa Christi, cum Paulo dicens, Ergo scilicet Christus gratis mortuus est? Et rursus, Ignorantiam Dei quidam habent. Item, Volentes, vt iudæi, suam statuere iusticiam, iusticiæ Dei non sunt subiecti, iusticia autem Dei (id est, quando iustificamur a Deo) est per fidem sanguinis Christi &c.

Galat. 2.  
1. Corin. 15.  
2. Corin. 4.

Roma. 10.

Quis enim nunc reuelata veritate, feret has & similes blasphemias in Collectis quibusdam, Deus qui nos hodierna die solennitate Beati Georgij, Blasij &c. iustificas, concede propicius, vt eius meritis & intercessione, a peccatis omnibus absoluamur, & vitam consequamur aeternam? Hoc scilicet est petere Patrem in nomine Iesu, quem admodum ipse iussit? Hæc scilicet est oratio fidei, quemadmodum oratio debet esse fidei, nisi Turcalis? & tamen post istas blasphemias audemus addere, Per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Quanto synceriores & sanctiores sunt orationes, quas Collectas nunc vocamus, quas pii Episcopi & Ecclesiarum Pastores olim fecerunt, quæ adhuc apud nos sunt Collectæ de Tempore, vt vocantur, in quibus sola misericordia Patris imploratur per Iesum Christum Dominum nostrum, quemadmodum ipse promisit, Si quod petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, Sic & syncerior fere est ille cantus, qui vocatur de Tempore, Nā fere habet manifesta verba ex Psalmis, Prophetis, Nouo Testamento,

Iohannis. 14.  
15. 16.

aut Historia sacra Bibliorum, id quod pius homo facile videbit. De Sanctis autem, raro aliquid synæceri canitur, nisi sit (vt dixi) ex Sacra scriptura, id quod tamen sæpe impie detorquetur pro iusticijs humanis in alienum sensum. Hic facile iudicabit fidelis homo, qui vel norit quid Articuli nostræ fidei sibi velint, Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est &c. Siquidem credimus nos Christiani remissionem peccatorum, vt fatemur in Articulis fidei, per Christum pro nobis conceptum, natum, passum, mortuum & glorificatum, quemadmodum ipse iussit nos inuocare Patrem, Remitte nobis debita nostra.

Matth. 6.

Hic vnus Articulus, qui est, Remissio peccatorum per Christum, si vere creditur, confundit & subuertit totum Papatum & omnem Monachatum, vt nunc est, & omnes iusticias humanas virorum & mulierum, id quod est regnum Antichristi, tantum abest, vt hoc Articulo credito, non posset fidelis homo, etiam si Sutor sit, non diiudicare cantus & verba fidei aduersa, modo linguam intelligat qua canitur. Quando autem Pharisæicis opinionibus occupati multi diiudicare non possunt aut non volunt, certissimum signum est eos defecisse a fide & Baptismo Christi, sub nomine tantum fidei Christianæ, quemadmodum Paulus ad Timotheum, vbi dixerat de honesto coniugio Episcoporum & Diaconorum (qui longe aliud tunc erant quàm nunc sunt) subdit eodem contextu prophetiam de futuris erroribus

1. Timoth. 4.

A iij roribus

roribus & blasphemijs Antichristianis, dicens,  
quod quidam deficient a fide, credentes spiritibus  
erroris & doctrinis dæmoniorum, docentium men-  
dacia. In hypocrisis, id est, sub specie pietatis & religi-  
onis, & habentium conscientiam cauterizatam, id  
est, turpi cauterio inustam. Sunt enim alligati cor-  
de ad opera & statuta humana, sperantes in talibus  
esse salutem, quæ gloria soli debetur Christo. Non  
enim, ut ait Petrus in Actis Apostolorum, aliud no-  
men sub cælo datum est hominibus, in quo nos o-  
porteat saluos fieri, Accedant mille alia nomina, ni-  
hil hic sunt, Audis exclusiuam illam particulam, de  
qua nunc ineptuli disputant, num sola fide iustifica-  
mur, ignorantes, quid vel uocabulum fides signifi-  
cet, ne dubites eos a fide defecisse. Siquidem fides,  
siue fiducia illa Christiana apprehendit Christum, in  
conscientia coram Deo, & in Christo Patrem, & ali-  
am iusticiam coram Deo non nouit nisi Christum;  
Hic est Deus & homo, mediator inter Deum & ho-  
minem, qui sedet ad dexteram Patris & interpellat  
pro nobis, Non est in alio salus. Non aliud nomen  
sub cælo datum est hominibus, in quo nos oporteat  
saluos fieri, etiamsi nomines legem Dei, tantum  
abest, ut nomina legum humanarum & excogitati  
cultus hic aliquid possint.

Omnes homines, ut Turcæ, Iudæi, & impij con-  
temptores & ventris serui apud nos, multa dicere  
possunt de Deo, quæ & Diabolus credit esse vera,  
nempe, quod Deus summa Maiestas condiderit  
cælum & terram &c. Soli autem vere Christiani  
credunt hunc Deum suum esse Patrem, & se esse fi-

lios.

lios. Apprehendunt enim fide Christum, in quo so-  
lo Patrem habent, extra quem Deus non inuenitur.  
Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus filius, qui  
est in sinu Patris, ipse enarrauit, id est, reuelat Pa-  
trem, suo prædicato Euangelio. Patrem nemo no-  
uit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare suo spiri-  
tu Sancto per Euangelium. Nam multi audiunt &  
legunt Euangelium, qui tamen non credunt. Hæc q  
non norunt, adhuc sunt sine fide, Non ergo mirum  
quod pro suis iusticijs, id est, stercorebus humanis  
disputantes, non possunt intelligere, Sola in Chri-  
stum fide nos iustificari, Quos queso Ordines, quas  
Religiones & obseruationes dixeris huic iustifica-  
tioni addendas?

Hic est vnicus Ordo, vna Religio, & certa salus,  
credere in Christum Iesum, quod ipse solus, qui cru-  
cifixus & mortuus est pro nobis, est nostra sapien-  
tia, iusticia, sanctificatio, & redemptio, Et qui glori-  
atur non in se, sed in Domino gloriatur. Nostrum  
est peccatum & damnatio, & omnes sumus sub le-  
ge, nisi liberemur, Christus autem credentibus, est  
iusticia & propiciatio & salus æterna, Hic liberat a  
lege, peccato, & morte, & constituit nos ut simus  
sub gratia, agnoscamus & inuocemus Patrem. Hæc  
est Religio Prophetarum, Martyrum, Sanctorum,  
& omnium vere Christianorum, ut gloriatur Pe-  
trus Actorum decimo. Huic (inquit) Christo, om-  
nes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem  
peccatorum accipere per Nomen eius quotquot  
credunt in eum. Hæc est sincera & sancta Aposto-  
lorum doctrina, a Christo cælitus orbis mandata, &  
prodigijs

Acto. 4.

1. Corin. 3.

1. Timo. 2.

Roma. 8.

Iohannis. 1.

Matth. 11.

Luce. 8.

1. Corin. 13.

Gala. 6. 2.

prodigijs Spiritus Sancti confirmata, unde canimus, Credo vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, Sectas non agnoscit Ecclesia, etiam si uouerunt & iurauerunt suas impietates se seruaturas, contra votum & sacratissimum Baptismi pactum, sed dicit cum Paulo, Nemo sit mihi molestus, Non aspernor gratiam Dei, Nam si per legem est iusticia, Ergo Christus gratis mortuus est, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Cui hoc precium redemptionis non satis est, quærat aliud, sed infernum inueniet.

Roma. 3.  
Gala. 2. 3.  
Ephe. 2.

Egregij isti disputatores, ne hoc quidem intelligunt de quo disputant, Nam contentio non est, num sol, luna, lapides aut trunci, aut alia iustificent, sed tantum contentio est de iusticia fidei, & iusticia operum coram Deo. Hic Spiritus Sanctus in cordibus fidelium, & expresso verbo Dei, negat operibus coram Deo iusticiam, utcumque alio pertineant sancta opera, quæ quisque secundum suam uocationem facit, verbo Dei in decem præceptis commendata, Nugas & excogitatos cultus abominatur Deus, cum pro ipsius iusticia suscipiuntur. Quid ergo peccant, qui docent, Sola fide nos iustificari? Siquidem non iustificamur operibus coram Deo, id quod Hypocritarum conscientia tandem cogentur fateri vel sero. Sic enim ait Paulus, Non ex operibus iusticia, quæ feceramus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos opulente per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur

iuxta

iuxta spem vitæ æternæ. Hic est indubitatus sermo. De operibus vero bonis, non de Monachorum nugis, post hæc verba Paulus sic addit. De his uolo ut confirmes, quo solliciti sint, ut bonis operibus præsententur, qui crediderunt Deo. Hæc enim sunt honesta & utilia hominibus. Lege Epistolam ad Titum, unde ista citauimus, & uidebis quæ bona opera dicat singularum condicionum. Sectas autem nostrorum non nouit, sed excommunicandos censuit qui curiosa agebant, & pro his victum sibi ab alijs deberi contendebant. Bone Deus, quot excommunicatos hodie pronunciat Spiritus Sanctus hisce Pauli uerbis, fere omnes Papistarum Ordines non solum curiosa, id est, non necessaria, agunt, sed etiam ea quæ prohibita sunt, & verbo Dei & fidei Christianæ contraria, & hæc ipsa venditant seductores seductis, pro religione & maxima sanctitate, & vorant non solum domos uiduarum, sed etiam ditaciones Principum. Sed quid prodest sanctitatem iactare & apud Deum esse excommunicatum & ad infima Tartara damnatum? Spiritus sanctus per prædicationem Euangelij etiam hodie mundum arguit de peccato infidelitatis & de iusticia & de iudicio, sed mundus non credit.

2. Tess. 5.

Matth. 23.

Verum de iusticia fidei & de operibus bonis docendi sumus ex sacra Scriptura, qua de re nunc editi sunt insignes libri & pijs Tractatus, ut non opus sit omnia repetere, uide tantum ne statim hæreseos damnes quod non intelligis, sed omnia (ait Paulus) probate, quod bonum est tenete, Quomodo probabimus, nisi verbo Dei & fide Christiana? Quis

1. Tess 5.

B

uero

Supra 1. Ti.  
moth. 4.

Collo. 11.

1. Timo. 4.

vero fecerit nostras Sectas ipsæ viderint, Paulus eis duas notas inurit, prohibent, inquit, honestas nuptias & cibos, vnde cognoscantur esse homines, qui defecerint a fide, additi spiritibus errorum &c. Hæc duo sunt nostris nunc, vna sanctitas & Religio Angelorum, qui vero pro Christo contra docent habentur Hæretici, sed Paulus ibidem dicit, Hæc docens eris fidelis minister in Domino, Amen.

Hæc omnia eo dicimus, vt sinceritatem fidei nostræ agnoscentes, sincere etiam confiteamur eandem, atq; huc pertinet, quemadmodum dicere cœsumus, ne quid de Sanctis aut alias impium, id est, quod fides Christiana & Euangelium gloriæ Dei non sustineat, cantemus. Indignatur hodie Hypocritarum vulgus, se a Laicis damnari verbo Dei, sed Christiani sumus, qui Christum confiteri debemus, & non sustinere vt blasphemiarum & abominatio- num Papistarum simus participes. De verbo Dei loquor, nam quod vel simultatibus vel sediciõibus apud plerosq; in hac causa agitur, probare non possumus.

Luce. 1.

Ibidem.

Quis quæso fidelium post hac audire poterit hanc blasphemam inuocationem, non tam ad Beata[m] virginem Mariam, quam contra eam factam. Solue vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, cuncta bona posce? Beatam quidem dicere debent omnes generationes sanctissimam Dei genitricem, quod virgo conceperit de Spiritu sancto, & facta sit mater Dei & hominis, saluatoris mundi, non suo merito, sed gratia Dei, Quemadmodum Angelus

Angelus ei dixit, Inuenisti gratiam apud Domi- num, Et Elizabeth eius fidem commendans, Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur in te omnia quæ dicta sunt tibi a Domino. Hæc sunt maxima, ob quæ beatam eam dicimus, sed infania & infidelitas facit ex ea Deum, quia inuocat eam, postulat ab ea remissionem peccatorum, illuminationem mentis, salutem animæ & corporis, Mirum q[ui]d in hanc horrendam cœcitatem licuerit nobis peruenire, sed ita fieri necessarium est, amisso lumine Christo, vbi homines defecerunt a fide &c.

Ibidem.

Similiter & alios Sanctos impudentibus mendacijs & blasphemijs, cantando, grauare certe, non honorare, nituntur. Vt quando canunt de beato Nicolao, Beatus Nicolaus iam triumpho potitus vovuit suis famulis prebere cœlestia commoda, qui toto corde p[er]secunt eius periciones. Illi nimirum tota nos deuotione oportet committere, vt apud Christum eius patrocinijs adiuuemur semper. Quos, quæso, famulos habet Nicolaus, vel Augustinus, vel Franciscus? &c. An non Christus dixit contra Diabolum, esse scriptum, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serutes? Vbi & quando Beatus Nicolaus vovuit suis famulis prebere cœlestia commoda? Mendacium est. Quid reliqua sunt, nisi fides & fiducia in Nicolaum, qui nobis conciliet Christum? cū tamen neq; in cœlo neq; in terra, nos quisq; plus amet quam Christus, Maiorem (inquit) charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hic dicimus cum Paulo, Nunquid B ij Paulus

Iohan. 15.

1. Corin. 13.

Paulus pro vobis est crucifixus: Nunquid in nomine Pauli aut Nicolai, aut Mariæ, estis baptisati?

*Iohannis. 17.*  
*Psal. ult.*  
Hæc crassius depingimus illis, qui cum audiunt in cantu esse impia vitanda, aiunt se nescire quæ sentiamus esse impia. Istæ ergo & similes blasphemiarum longe absint post hac ab ore nostro, Sed aiunt scriptum esse, Laudate Dominum in Sanctis eius, Quis negat? Non contendo nunc, an vocabulum, Sanctis, sit ibi non Masculinum, sed Neutrum, sed hoc nunc solum agimus, ne Dominum in Sanctis eius, nostris mendacijs & impio cultu, blasphememus, Si autem Asini contenderint, Sanctos esse in nocandos, quia scriptum est, Laudate Dominum in Sanctis eius, eadem ratione ex eodem loco contendunt sonum tubæ esse inuocandum, Psalterium, Cytharam, Tympanum, Chorum, Chordas, Organa, & Cymbola esse inuocanda, quia sequitur, Laudate Dominum in sono tubæ, Laudate eum in Psalterio & Cythara &c. Quid infantimus? Sed hæc hactenus, ne quid impium, id est, a verbo Dei & fide Christiana alienum cantetur.

Eadem ratione abstinebunt & a Legendis Sanctorum (quas vocant) ne videlicet eas publice legant, Nam priuatim legere, si quis tempus perdere vult, non prohibemus, vt nunc fabulas Aesopi, sed hæc eruditionem habent, Ille autem, pro maxima parte, ineptissimis scatent fabulis, & maria sunt mendaciorum, egregium instrumentum, quo Monachi superstitiones propagarent, & Christum nobis obliterarent.

terarent. Sunt autem ibi sæpè talia mendacia, vt e ruditi & Historiarum periti mirentur, hos fucos & Satanae laruas, indoctos homines non videre. Vt quando S. Mattheus Euangelista fingitur habuisse Templum & Altare, & ante Altare vbi Missam celebravit, occisus a Principe, q̄ pro Concione prohibuisset ei Monialē accipere in vxorem. Vbi quæso, tempore Apostolorum erant Tempa Christianorum, nisi illa viua, de quibus Paulus ait, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Item, An nescitis quod corpora vestra Templum sunt Spiritus sancti habitantis in vobis? Hæc templa ædificabant Apostoli, Pastores, & sancti Doctores, ad complementum corporis Christi, vt Paulus dicit Ephesijs, quos & ait ædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo, Non quod reprehendo domos, quas Ecclesias vocamus, vbi convenimus ad Euangelium Christi audiendum, ad orationem publicam, & Sacramenta suscipienda, Sed Historiam mendacem arguo, quia tales Ecclesie tunc ignorabantur, Neque vero nostra Altaria habebant tunc ad sacrificia purgatorij excogitata, sed dicebant, vt est in Epistola Heb. Habemus altare, id est, Christum, de quo non licet edere ijs, qui tabernaculo deseruiunt.

Sed vnde tunc Moniales erant? an ex doctrina Apostolorum, qui dixerunt, De Virginitate preceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, vt sim fidelis, Tunc, quæ Virgines hoc donum continentibus habebant

*1. Corinth. 3.*  
*1. Corinth. 6.*

*Eph. 4.*  
*Eph. 2.*

*Hebr. 13.*

*Locus de Virginitatibus.*

*1. Corinth. 7.*

2. Thes. 3.

habebant a Deo (reliquis non hoc consult Paulus) sua sponte, sine votis & legibus, hoc est, (vt Paulus ait) sine laqueo, seruabantur in ædibus parentum, Sic enim ait Paulus, Si quis statuerit seruare suam virginem &c. & seruibant parentibus & rei familiarum, non ociose aut gratis panem contra Dei ordinationem manducantes, neq; addictæ infidelibus obseruationibus & prodigijs cultibus, sed tantum Domino Christo placentes, secundum Euangelium gloriæ Dei, quod Paulus prædicabat. Siquidem interim liberae erant a curis huius mundi, non sollicitæ pro marito, pro filijs, pro possessionibus &c. vnum ventrem suo labore facile alebant, dum sciebant paulo post se hic nihil relicturas, quod possent amare. His perpetuo manebat liberum postea nubere, si vellent.

2. Corinth. 11.

Quod institutum & donum paucarum virginum, cum postea quidam Episcopi, & alij, immodestius extollerent, obliuisti verborum Pauli, factum est, vt tales virgines dicerentur sponsæ Christi, cum tamen Apostolorum tempore, sponsa Christi non diceretur nisi Ecclesia fidelium, quemadmodum & Paulus dicit Corinthijs conuersis ad Christum, ex quibus multi fuerant scortatores, adulteri, immundi &c. Despondi inquit, vos vni viro, virginem castam exhibere Christo &c. Iniuria certe fuit illis, ob corporis virginitatem, tribuere quod totius erat Ecclesiæ propter fidem in Christum, quemadmodum hodie cum Monachi sua defendere debent, pro se ineptissime ex sacris literis citant quæ totius sunt Ecclesiæ, & quæ fidei sunt, Monachatum suo tribuunt. Hinc ea commendatio

commendatione illectæ, plures virgines coeperunt se quasi Christo dicere, quas præstitisset tradere coniugijs sanctis, quam impuro Satanæ coelibatui. Erant enim caro & sanguis vt nunc, & cum iam videbantur non posse nubere, per desperationem (vt Paulus de quibusdam ait) tradiderunt sese omni impudiciæ. Siquidem cum seorsim a parentibus & arbitris amicis habitarent, quasi non laboraturæ in ædibus paternis, sed Deo suo ocio alibi seruituræ, veniebant ad eas Diaconi & alij, & elegerunt eas sibi in matres spirituales. Reliqua non volo dicere, Dicat beatus Martyr Cyprianus, cuius verba non grauabor huc ascribere, vt cognoscas veram esse Historiam quam dixi, Sic autem ipse in quadam Epistola scribit. Postulas quid nobis videatur de virginibus, quæ cum semel statum suum cõtinenter & firmiter tenere decreuerint, detectæ sunt postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus vnum Diaconum esse dicis. Quam graues multarum ruinas hinc fieri videmus, & per huiusmodi illicitas & periculosas coniunctiones, corrumpi plurimas virgines, cum summo animi dolore conspiciamus. Quod si se ex fide Christo dicauerunt, pudiciæ & castæ sine vlla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles premium virginitatis expectent. Si autem perseuerare **NON AVT NON POSSVNT**, melius est vt nubant, quam in ignem delictis suis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciunt &c. Hæc interim Cyprianus. Tales sententias Patrum diligentissime cauit ne referret in suum decretum Gratianus, sed erroneis Patrum dictis saepe abutitur,

Eph. 4.

Lib. 1. Epi.  
11.

1. Corin. 7.

abutiatur, ut necet conscientijs laqueos. Vide  
quam hic Cyprianus libere ex verbo Pauli (Melius  
est nubere quam vri) pronunciet pro coniugio ta-  
lium etiam voto obstrictarum, ne consentiat do-  
ctrinis Dæmoniorum, nubere prohibentium.

Quas vero nunc Nonnas & Moniales habe-  
mus, non sunt ex virginibus, de quibus Paulus con-  
sulit, ut notum est, sed ex doctrinis Dæmoniorum,  
de quibus Paulus prædixit, secundum exemplum  
gentilium virginum, quas Vestales appellabant, ex  
quarum vna fuit Roma nata, ut scribit Linius. Iccir-  
co ipsa adhuc, vbi Martyrum sanctorum sanguine  
vix faciata est, cum suo Papatu merito defendit Mo-  
nialium & aliorum falsas Religiones, ne suæ matri  
ingrata inueniatur.

Dicat nunc ergo stultus ille Historiographus,  
qua veritate audeat asserere suam Hypogeniam plus  
quam ducentis virginibus Deo dicatis, fuisse præ-  
fectam, & omnes publice in Ecclesia a sancto Mat-  
theo benedictas. Hæc portenta verborum & rerum  
nostri temporis, audet ille ineptulus affigere illi sæ-  
culo Apostolorum, & iam stulti Episcopi, ista aper-  
ta mendacia confirmant, habentes etiam hodie in  
suo Pastoralis libro orationem, quam mentiuntur  
esse Matthei Apostoli, & legunt eam super suas Mo-  
niales, verbis satis ineptis. Quasi vero ex scriptis  
Apostolorum & Actis Apostolicis ignoret Eccle-  
sia sancta quid Apostoli Christi docuerint, aut quasi  
vero ignoremus illius temporis Historias, aut quasi  
Apostoli non manifeste damnent istos conscientia-  
rum

rum laqueos quos ille mendax probat.

Ridiculum vero vel in primis est, quod Bea-  
tum Euangelistam coram Altari Missam celebrasse  
dicit, ut stultis & rudibus persuadeat, istas Missas  
papisticas (in quibus ex Sacramento & sacra com-  
municatione corporis & sanguinis Christi fece-  
runt sacrificium, pro viuis & defunctis) semper in  
Ecclesia fuisse. Quasi vero non satis superque notum  
sit ex Epistola ad Corinthios scripta, quid Apostoli  
sancti de Sacramento ex Christi institutione docu-  
erint, quidue Ecclesiæ Christi ab eis obseruandum  
susceperint & obseruauerint.

Nec vero ille impostor & fabularum compli-  
tator, aliorum mendacia solum pro vera Historia  
nobis venditare voluit (quemadmodum de singu-  
lis Apostolis longas facit Historias, de quibus ta-  
men Eusebius, diligentissimus nostrarum Historia-  
rum conscriptor, nihil pene aliud nouit, quam quod  
sacris literis in Nouo Testamento proditum est) sed  
etiam quæ bene dicta apud alios inuenit sæpe depra-  
uauit, quod genus est hoc, quod deprauat verba Be-  
ati Laurentij. Ambrosius scribit, Laurentium Dia-  
conum, ad Sixtum Episcopum vrbis Romæ dixisse,  
Quo progredieris sine filio pater, aut quo sacerdos  
sancte sine ministro properas? experire num de-  
gerem tibi delegeris ministrum, cui commisisti  
Dominici corporis & sanguinis consecrationem.  
Ita etiam hæc verba, sine vlla hæsitacione, vbiq; ha-  
ctenus cecinimus de beato Laurentio in nostris Ec-  
clesijs, Attamen deprauator ille, ex verbo, Consec-  
rationem,

Acto. 6.  
1. Timo. 3.

erationem, facit dispensationem, veritus ne quis ex tali Historia aliquid sentiret contra sacerdotales & indeliberabiles illos Romanæ bestiae characteres, si Diaconis permitteret, quam vocant, consecrationem. Et somniat interim semper fuisse tales Diaconos, quos nunc, sine Diaconorum officio, habemus, quasi non alij Diaconi fuerint ordinati ab Apostolis, de quibus Paulus scribit Timotheo, quales fuerunt Stephanus, Ierosolymis, & Laurentius, Romæ. Vbi nunc sunt apud Papistas thesauri Ecclesiarum & oblationes Christianorum, quas Diaconi dispensent pauperibus.

Quam autem ille fabulator nihil certi habeat de Historijs multis, testatur vel illud quod de morte S. Bartholomei scribit. Alius, inquit, dicit eum crucifixum, alius excoriatum, alius tantum decollatum, & potest dici, quod ista omnia sint vera, quod primo fuerit cœsus, inde crucifixus, postea de cruce depositus & excoriatus (sic enim loquitur) postremo vero decollatus.

Istæ nenix olim in Ecclesia publice non legentur sed prohibebantur, nunc autem non solum leguntur, sed etiam omnes Contiones occupant. Vide quid Gelasius scribat in Decretis. dist. 15. Sacrosancta &c. Vbi cum reliquis nominat etiam Historiam Assumptionis Beatæ virginis, quas nugas nos hætenus tantum non adorauimus, neque sacras literas neque quorundam recta monita secuti.

Ex his omnibus, facile vides quid sentiamus, cum suademus impia publice neque cantanda neque legenda,

legenda. Cur enim cum contumelia Dei, negligamus sacram scripturam, fabulas secuti?

Præterea sciant Monachi, & alij, per ea quæ ipsi iam suscipiunt ex sacra Scriptura cantanda & legenda, non præscribi nouas leges, aut commendari nouum aliquod institutum Monachorum, sed per hæc tantum consuli illis, qui nunc aliud vitæ genus suscipere non possunt, vt habeant cantando & legendo aliquod exercitium sacre Scripturæ & verbi Dei, quemadmodum cantus & lectiones a principio ad hoc fuerunt institutæ, vt etiam vides in verbis Gelasij Papæ. Qui autem ex eis continere non possunt, nimirum non habentes donum, de quo Christus & Paulus dicunt, & magis idonei sunt alia conditione seruire alijs, non possunt bona conscientia in Monasterijs permanere, tantum abest, vt possint post hac alios ad suas sectas & superstitiones pertrahere. M atth. 19.  
1. Corin. 7.

Eadem plane dicimus de Canonicis, qui nullo iam vsui sunt Ecclesie Christi, possunt & ipsi residui, si non alijs officijs necessarijs sunt commodi, ita hisce scripturæ exercitijs cantando pro suo tempore exerceri.

Sic vero potest ordinari cantus cum lectionibus (si ita placet) secundum numerum Horarum hætenus consuetarum.

### PRO MATVTINIS.

Primo, dicatur Symbolum Apostolorum, &  
C ij                   oretur

oretur oratio Dominica, Mox Cantor incipiat aliquam Antiphonam, iuxta cuius tonum statim sequantur tres Psalmi, His finitis, antiphona completur, Inde legantur tres Lectiones & canantur tria Responsorialia de Tempore, aut si qua alia sunt ex sacris literis, ita ut post singulas Lectiones, singula respondeantur Responsorialia. Lectiones vero tantum ex Biblijs, id est, veteri & nouo Testamento legantur, ut visum fuerit, & sine breues, sine lube Domine, & sine Tu autem &c. sed pronuncientur distincte cum tono, quemadmodum solent legi Prophetia. In fine vltima verba cuiusque Lectionis ut Prophetia solebat, sic finiantur, Sol, sol, sol, la, sol, fa, fa. Post tertium Responsorium quod cum Gloria Patri &c. canitur, Dominica die, & in Festis (non alijs) sequatur Te Deum &c. Post tertium Responsorium, aut post Te Deum, mox Cantor incipiat aliquam Antiphonam secundum cuius tonum, canatur tantum vnus ex Psalmis prophetalibus, quae cantica vocantur, Dominica die, Benedicite omnia &c. Feria secunda, Confiteor tibi Domine quoniam iratus &c. Feria tertia, Ego dixi &c. Feria quarta, Exultauit &c. Feria quinta, Cantemus &c. Feria sexta, Domine audiui &c. Sabbato, Audite coeli &c. Post Antiphonam completam, sequatur statim alia Antiphona cum Benedictus Dominus Deus Israel, Postea dicatur Kyrie Eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster &c. Et ne nos, Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Et salutare tuum da nobis, Dominus vobiscum, Oremus, cum Collecta aliqua de Tempore, aut aliqua alia

alia quae sit sincera. Post Amen, statim canatur Benedictamus, more consueto.

Liberum esto, quibus Antiphonis uti velint, vel ex Psalterio vel alijs, modo sint pia cantica, siue de Tempore siue de nostris Festis, quae seruantur apud nos secundum historiam Euangelicam.

### PRO PRIMA.

Non dicatur, Deus in adiutorium, sicut nec in Matutinis Domine labia mea, sed cantetur statim in principio, iam lucis orto &c. Mox Antiphona cum Psal, Beati immaculati, Retribue. Post Antiphonam completam, loco Capituli legat lector vnam breuem Lectionem secundum tonum ut in Matutinis, ibi vero incipiat in Biblijs, ubi finem fecerat in Matutinis, sic pergat etiam in Tertia & Sexta & Nona, Mox post hanc Lectionem dicat vnus, Oremus, cum Collecta, Post Amen aut, nihil sequatur.

Symbolum Beati Athanasij, Quicumque vult saluus esse, tantum Dominica die cum Psalmis praedictis canatur in Prima.

### PRO TERTIA.

Canatur Hymnus, Nunc sancte &c. Deinde Antiphona cum tribus Psalmis consuetis, Inde legatur Lectio & Collecta, ut de Prima dictum est.

### PRO SEXTA.

Canatur Hymnus, Rector potens, Antiphona, tres Psalmi consueti cum Lectione & Collecta ut supra.

C iij

Pro Nona

## PRO NONA.

Canatur Hymnus, Rerum Deus &c. Canatur Antiphona cum tribus Psalmis consuetis, addatur Lectio & Collecta vt supra.

Quia vero Psalmus Beati immaculati, distinctus est viginti duobus octonarijs, commodius fuerit, propter Canonicos studiosos sacrae Scripturae, vt in singulis hisce Horis, Prima, Tertia, Sexta, Nonna, tantum vnus octonarius aut summum duo, cantentur, & semper incipiatur vbi relictum est, vsq; ad finem Psalmi. Imo alio ordine, Nam die Lunae, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, debent audire lectionem & tractationem Sacrae scripturae (quando non predicatur) vnam horam mane, & alteram horam ante coenam, Ad hoc foueant Predicatorem & Lectores Theologiae, vt postea verbo Dei eruditi, possint praefici Ecclesijs & Scholis, Alioqui quid facerent suis vanis nominibus?

## PRO VESPERIS.

Cantor incipiat aliquam Antiphonam, secundum cuius tonum sequantur tres Psalmi ex illis, quorum primus est, Dixit Dominus, & qui hunc sequuntur, vsq; ad finem Psalterij Dauidici. Post Antiphonam sequatur vna Lectio, eo modo quo dictum est, siue ex veteri siue ex nouo Testamento, vt placuerit. Post Lectionem canatur Hymnus ferialis, aut de Festo, aut alius syncerus Hymnus. Sunt enim multi pii Hymni, Vt autem ab Hymnis caueamus quae merita & inuocationes Sanctorum habent, pietas & fides Christiana postulat, Quis enim

enim nunc posthaec vellet eleuata lignea cruce, impie canere, O crux aue spes vnica, hoc passionis tempore, auge pijs iusticiam, reisq; dona veniam? Post Hymnum sequatur Antiphona cum Magnificat, Inde Kyrie eleison &c. vt in Matutinis.

Post Benedicamus, loco Completorii, legant submissa voce, sine tono aliquo, sed tamen distincte, Psalmum Qui habitat, cum Nunc dimittis, & post Gloria Patri, addant Kyrie eleison, Christe eleison. Credo, Pater noster. Postea dicant simul omnes, In manus tuas Domine Iesu, commendamus spiritus nostros, Redemisti nos Domine Deus veritatis.

Psalmi in Matutinis & Vesperis, sic ordinentur, vt semper pcedatur, ibiq; rursum altera die incipiatur vbi superiori die cessatum est. Ita nullo tedio afficiuntur cantantes, nec superstitiosus Psalmorum numerus grauabit pie sentiētes, Magna vero utilitas erit Lectionum, quando bis vel plus in vno anno, nulla molestia, licebit tota perlegere Biblia, & ita ad sacras aueseri scripturas, vt habeant consolationem ex verbo Dei, qui meliorem nunc conditionem, aetate aut aliter impediti, suscipere non possunt, donec Deo suam reddant spiritum, per solum Iesum Christum Dominum nostrum,

## DE VIGILIIS.

Vigilias quas vocant, pro defunctis, non canant, quando nihil aliud sunt, quam abusus sanctissimorum Psalmorum, & verborum Beati Iob, & isto abusu verborum Dei, non alio respicitur, quam in mendax

in mendax illud & fictum Purgatorium. Satis lu-  
sum est pro mercede iniquitatis & ludę oculis, Post  
hac non iritemus Dominum.

### DE MISSA.

Norunt Christiani quemadmodum Christus  
instituerit in Sacramento suum corpus a fidelibus,  
siue presbyteri siue non presbyteri sint, edendum,  
& suum sanguinem bibendum in sui commemora-  
tionem, Norunt & quicunq; amant sanctam illam  
vnam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quid  
Apostoli de Sacramento docuerint, & quid Eccle-  
siae Christi crediderint & obseruauerint, nempe  
hoc Sacramentum esse corpus & sanguinem Chri-  
sti, ijs Christianis qui edunt & bibunt, & ad hoc so-  
lum esse corpus Christi & sanguinem, nempe ad e-  
dendum & bibendum in Christi commemoratio-  
nem, id est, vt solus Christus prædicetur, quod su-  
um corpus tradiderit pro nobis in mortem & san-  
guinem pro nobis effuderit in remissionem pecca-  
torum. Reliqua omnia, quæ pro peccatis diluen-  
dis hactenus suscepimus, nihil aliud esse, quam ster-  
cora & mendacium Diaboli, ex doctrina Dæmo-  
niorum, in hypocrisi loquentium mendacium &c.  
Nos vero hoc Euangelium, siue hanc Christi com-  
memorationem & negleximus & in iusticias huma-  
nas mutauimus, & ex sacratissimo Sacramento fe-  
cimus sacrificium pro viujs & defunctis, abolita  
Christi institutione. Et hoc ficto & abominato sacri-  
ficio, vorauimus & diuitum & pauperum bona,  
facti Dij, quos adorarent Principes terræ, & colui-  
mus Mam-

mus Mammona, etiam sub nomine paupertatis, &  
ociosos ventres, etiam sub nomine sancti ieiunij &  
abstinentiæ. Omnes superstitiones & sectas perdis-  
tionis fouebat hoc fictum sacrificium, & horrenda  
mutatio institutionis Christi, Deniq; q olim erant  
Presbyteri & Episcopi & sancti pauperum Dia-  
coni, Item Scripturarum interpretes, & sacre Theo-  
logiæ professores & Euangelij doctores, vt Paulus  
Eph. quar. ista dona a Christo glorificato Ecclesiæ  
data gloriatur, nunc per hoc impium sacrificium  
nihil aliud facti sunt, quam Missarij sacerdotes, nul-  
la utilitate, magno damno Ecclesiæ. Idcirco posthac  
ab istis Missis abstinebunt, Qua de re scripti sunt a  
liquot egregij Tractatus ab ijs, qui non sunt Sacra-  
mentiperdæ, sed sacre institutionis Christi defenso-  
res. Scripta autem sunt talia ex institutione Christi.  
Nā quæ aliter scribuntur, nihil debet morari fides  
Christiana in hac parte. Hęc ita nunc inuulgata sunt  
& a fidelibus suscepta, vt ignorare non liceat, Qui  
autem ignorat, ignoret, Nouit Dominus qui sint  
sui, Nouit Dominus viam iustorum, via autem im-  
piorum peribit. Fatetur ab initio tota Ecclesia, faten-  
tur & omnes aduersarij nostri nobiscum, hoc Sacra-  
mentum verbo Christi nobis fieri & dari, quid ergo  
nos miseri inde tentamus facere aliud sine verbo  
Christi, atq; adeo contra verbum Christi? Crede  
Christo, nihil efficies tua presumptione.

Cum igitur nulli cōmunicare voluerint, & Canā  
Domini celebrare, quemadmodum Christus insti-  
tuit, & Apostoli docuerunt & Ecclesia Christi sus-  
cepit & obseruauit (erroribus nostris ignoscat cle-

D mentia

1. Corin. 14  
2. Tit. 2.  
psalmo. 1.

mentia Dei) tunc omnino non tractetur Sacramen-  
tum Christi, Siquidem manifesta blasphemia & irri-  
sio est, dicere alijs, Accipite, edite, bibite, cum inter-  
rim certus sis & constitueris apud te, nemini te da-  
turum, neminem esurum & bibiturum, conuiuas  
non esse, neq; posse fieri vt edat & bibat illic Eccle-  
sia congregata ad mensam Domini, annuncians  
mortem Christi, quoniam non commemorationem  
mortis Christi illic cum tua Ecclesia instituis, sed po-  
tius tuum illud turpe & priuatum silentium, Breui-  
ter humanam institutionem pro Christi institutio-  
ne impie venditas, & nihil ibi vis facere eorum quæ  
Christus instituit.

Hoc præterea hic admonemus, ne Monachi  
aut Canonici qui hæc suscipiunt, faciant nouas tra-  
ditiones, & cogant fratres ad communicandum, vt  
hac occasione habeant sæpe Missas, sed libere liberis  
liberum relinquant Sacramentum. Tunc primum  
videbunt, quam non amanter prius quesierint Sa-  
cramentum, quando fere quotidie Missas celebra-  
bant, Nunc enim rarius volent accedere. Satis etiam  
fuerit cœnam Domini Dominicis diebus tantum  
& in Festis celebrare, si tamen sunt qui communis  
care volunt corpore & sanguine Christi,

Singulis itaq; diebus, siue festis siue non festis,  
quando non sunt, vt dictum est, communicantes,  
potest cantari Introitus latine, & reliqua omnia Mis-  
salia, vsq; post Credo, etiam in vestibulis quas sacras  
vocant, si ita volunt, tamen cum consilio supremi  
Superintendentis.

Post Credo

Post Credo, in alijs diebus cantetur Sexta vel,  
Nona, Dominica vero die vel in Festis, post Credo  
predicet vnus Euangelium germanice, vt ceteri vel  
discant vel consolationem accipiant, quemadmo-  
dum oportet fieri in Ecclesia Christi, quæ enim esset  
illa Ecclesia quæ non agnoscit publicam verbi tracta-  
tionem?

Curent etiam Monachi pro suis Laicis & in-  
doctis sacerdotibus, vt doceant eos diligentissime  
Catechismum, quem paruum vocamus, hoc est, pri-  
mum ipsa verba decem Præceptorum, Symboli A-  
postolorum, Orationis Dominicæ, Baptismi & Eu-  
charistiæ. Et deinde, vbi hoc illi bene didicerint, do-  
ceantur etiam quid ipsa verba velint, quemadmo-  
dum breuiter in paruo Catechismo conscriptum  
est. Quomodo enim aliquis poterit esse Christia-  
nus, qui hæc scire contempserit? Quod vero vulgus  
nobilium & rusticorum & ciuium, de his nunc ni-  
hil plus nouit quam equus & mulus, reddent Episc-  
copi & Pastores Ecclesiarum & Papistarum relique-  
factiones, tantum suum ventrem & Mammona &  
dignitates colentes, reddent inquæ horrende Deo-  
rationem in illo die, Videbunt quem contempse-  
runt.

Si autem non est inter Monachos aliquis adeo  
doctus, qui possit commode tractare pro contione  
verbum, constituatur vnus, qui sedens aut stans,  
publice legat germanice ex Postilla dimidiam ho-  
ram aut vltra, siue postea fiat communio siue non  
fiat, donec aliunde accipiant doctum Concionato-  
rem, & Scripturæ tractatorem, quem foueant stis-  
pendio

D ij

pendio & honesta habitatione, vt ipsis a nostris Vi-  
sitoribus constitutum est. Nam hæc prædicatio  
siue lectio, pertinet ad Christi commemorationem,  
atq; adeo ipsa est Christi commemoratio, Quemad-  
modum Paulus exponens, Mortem, inquit, Domi-  
ni annunciabitis donec veniat. Oportet enim in  
hoc sacro conuiuium, quando celebratur, non tacere  
sed prædicare, q; Christus seipsum tradiderit pro no-  
bis, hostiam sacram Patri, in odorem suauitatis, &  
effuderit sanguinem suum in remissionem peccato-  
rum nostrorum, quemadmodum habent verba sa-  
cræ institutionis. De hoc debet Ecclesia audire, ca-  
nere (vt etiam Laici nunc faciunt) gratias agere, po-  
stea hoc ipsum docere suos filios & familiã id quod  
multi male adhuc negligunt) Hæc est (vt dixi) Chri-  
sti commemoratio, non illud ridiculum silentium  
quod in Missa vocant, Hæc commemoratio semper  
debet fieri ( nisi Christus non sit semper prædican-  
dus) etiam quando non accedimus ad mensam Do-  
mini, Cæna autem Domini sine eius commemo-  
ratione celebrari non debet, secundum eius manda-  
tum & institutionem, Ita vt possit commemoratio  
sine cæna esse, Cæna autem sine commemoratione  
nequaquam, Nam etiam si alia desint, tamen vel ipsa  
publica recitatio verborum institutionis Christi in  
cæna Dominica, est Christi commemoratio & con-  
solatio & confirmatio fidei nostræ, Sed hætenus sa-  
tis de publica prædicatione siue recitatione verbi  
Dei, diebus Festis, siue fiat communio siue non  
fiat.

Post verbum Dei admoneantur, vt orent pro  
omnibus

omnibus omnium hominum conditionibus, pro  
Ecclesia, pro pace, salute &c. Hic est noster Canon.  
Papistæ autem hæc seria, cum suis mendacijs simul  
congefferunt in illum occultum Missæ Canonem.

Post orationem publicam cantetur aliquis Psal-  
mus germanice, Nec erubescamus, cum Laicis &  
indoctis fratribus vnum laudare patrem, per vnum  
Iesum Christum Dominum nostrum.

Post hoc, si non adsint communicantes, statim  
sequitur Sexta vel Nona.

Quando vero conueniunt fratres ad commu-  
nicandũ Dominica die aut Festo, tunc post concio-  
nẽ aut recitationem illã quam dixi, finito germani-  
nico Psalmo, incipiat presbyter coram Altari præ-  
sationem, vt est in ordinatione, Dominus vobis-  
cum, Sursum corda &c. Deinde canatur Sanctus,  
Omnia si ita placet, latine cantentur, præter ea, quæ  
iam sequuntur.

#### SEQVITVR POST SANCTVS, STATIM

consecratio, quam vocant.

Hic suademus orationem Dominicam & ver-  
ba institutionis Christi, & vltimam Collectam cum  
benedictione, germanice pronuciari, vt sic confu-  
lamus fidei rudium & indoctorum, & non erubes-  
camus (tradendo Sacramenta) de Ecclesia Germa-  
nica in qua nati sumus, quando neq; Iudæi neq; Gre-  
ci aliter tradiderunt Sacramenta, quam sua lingua  
in qua nati erant, Quam ridiculum esset tradere po-  
pulo Euangelium lingua non intellecta, ita ridicu-  
lum est tradere Sacramenta verbis non intellectis.

D iij Non

Non omnes intelligunt qui latine legunt, Vt autem apertis verbis pronunciemus institutionem Christi coram cœnaturis siue communicaturis, & ratio postulat & fides, & præterea factum Christi, Quid enim intellexissent Apostoli, si Christus tradendo Sacramentum, siluisset vt nostri Papistæ: vnde haberemus, queso, institutionem Christi: quid ibi credam: quid ibi faciam nisi audiam Christum loquentem: Quid mihi cum eo quod murmurat apud se presbyter: Cur non audiam Christi institutionem: An dignum est vt suscipiam Sacramentum sine verbo, quando sine hoc illud non est mihi Sacramentum: quemadmodum & Augustinus dicit, Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum, nõ quia dicitur, sed quia creditur &c. Quomodo autem creditur nisi audiatur: Sicut in cœna Christus suo manifesto verbo fecit & tradidit hoc Sacramentum, ita & nunc in Ecclesia ille ipse & non alius, licet per ministros, manifesto verbo facit & tradit hoc Sacramentum communicantibus, Nam cum sacrificantibus nihil est ei cõmune, Alioqui nisi ipse Sacramentum nunc quoque faceret & daret, nemo facere aut dare posset. Stulticia enim est & impietas, præsumere, quod rasuræ, vnctiones & characteres ficti hic aliqd efficiant. Ambrosius cum tota Ecclesia dicit, Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, Fides aliud non potest dicere vel sentire, Si autem pius offenderis quandoque aliud dixisse, hoc computato inter Sanctorum errores, non defende contra verbum & institutionem Christi. Hic vt est vnica salus nostra, ita & vnicus est Doctor noster & Magister,

gister, de quo Pater clamat, Hunc audite, Et Moses, Qui inquit, Prophetam illum non audierit, ego vltor existam, Dicit Dominus, Abeant aldi, qui defecerunt a fide, ad doctrinas Dæmoniorum. Huius Pastoris vocem agnoscunt oues, alienum non sequuntur &c. Præterea isti Monachi vt Christiani, libenter hic debent cedere suo sensui, & tradere & accipere Sacramentum, quemadmodum omnes nunc Ecclesiæ in Ducatu Brunsvuicensi accipiunt, ne videantur posthac in susceptione Sacramentorum plus velle esse quam reliqui Christiani, vt hactenus. Suscipiunt autem alij secundum Christi institutionem, non sine verbo; cur non & isti sic susciperent:

SIC ERGO PRAEPARATO PANE ET calice post Sanctus, Presbyter oret & pronunciet. *Eatt vns beden / Vader vnse etc. Statim accepto pane / Vnse Dere Jesus Christus in der nacht etc. Et accepto Calice, Des geliken nam he ock den Kelck etc. vt supra in Ordinatione publica.*

D iij

COMMUNICATIO.

Hic communicent statim utraq; specie, Possunt etiam quando volunt sanctum panem dare, anteq; benedicatur calix, & postea benedicto calice dare etiam calicem, quemadmodum Christus in coena fecit. Hæc ordinent ut voluerint, Nam quamuis pulchrum sit hic imitari factum Christi, tamen liberi in hoc esse debemus, modo hic nihil faciamus aut sentiamus, quod sit contra verbum, mandatum, & institutionem Christi.

Sub Communicatione cantetur Agnus Dei, latine vel germanice, vel utrumq;, Vel Hymnus, Pange lingua, aut aliud latine vel germanice, Non tamen diu cantetur, ne laus Dei fiat molestia &c.

Post Communicationem sequitur hæc aut similis Collecta.

Eath vns beden.

**W**J dancken dy Almechtige Dere Godt/  
dat du vns dorch disse heilsame gawe  
hast erquicket / vnde bitten dine barm-  
hertigheit / dat du vns solet gedeien latest / tho  
starcken lonen segen dy / vnde tho berniger lene  
manck vns allen / Dorch Ihesum Christum vn-  
sen Deren / Amen.

ULTIMA BENEDICTIO DATVR

versa facie ad alios, sic,

De Dere

De Dere segene dy / vnde behöde dy / De  
Dere erluchte syn angesichte awer dy / vnde sy <sup>Numeri. 6.</sup>  
dy gnedig / De Dere erheue syn angesichte  
awer dy / vnde geue dy frede.

Respondetur, Amen;

FINIS CAENAE DOMINI.

Vbi vero Monachorum aut Canonicorum  
Ecclesia est Parrochia, omnia cum populo canten-  
tur in Missa diei Festi & Dominicarum, ut in Ordina-  
tione Ecclesiarum scriptum est, Neq; Monachi  
vel Canonici suo cantu impediant laudationem Ec-  
clesiae sanctae.

SEQVITVR SEXTA VEL NONA

Finis Ordinationis Ecclesiasticae in  
terra Brunsvicensi.

Impressum Ditebergae apud  
Georgium Rhaw.

Anno M. D.

XLIII.

D v

Dei consensu et auctoritate  
sanctae synodi generalis  
conventus in archiepiscopatu  
metropolitano Cantuariensi  
habiti

Respondentur Amen

IN NOMINE DOMINI

Ubi vero Monachorum aut Canonorum  
collegia esse parochia, omnia cum populo  
in illis districti & ministerium, vni  
necnon Ecclesiarum legum et iuris  
et Canonice tractantur et iudicantur  
distinctione

SEQUITUR SEXTA VEL NONA

Itaque Ordinationis Ecclesiarum in  
eisdem locis

Superiorum & inferiorum

Ordinum & parochiarum

KLIII

D



